OCTIDUUM SACRUM,

ID EST,

OCTO MISSÆ BREVES,

SANCTIS ECCLESIÆ RANSHOVIANÆ PATRONIS PRINCIPALIBUS SACRÆ:

Addita una Lugubri pro Defunctis.

A IV. Vocibus neceſſariis, & II. Violinis ad libitum bellè concertantibus: Cum Organo identidem repetendo.

Operis primi Pars I.

AUTHORE

R. P. GUILIELMO GANSPECKH, Canonico Regulari Lateranenſi Ordinis S. Auguſtini, ad S. Pancratium M. Ranshovii Profeſſo.

ORGANO.

Sumptibus D. Joannis Caſpari Joſephi Ganspeckh, Muſici Aulico-Cameralis Monachii.

REVERENDISSIMO, PERIL-
LUSTRI ET AMPLISSIMO DOMINO
DOMINO

CANON. REG. ORDINIS
S. AUGUSTINI
IN CELEBERRIMO ET ANTIQUISSIMO
COLLEGIO DIESSENSI
PRÆPOSITO VIGILANTISSIMO,
ABBATI LATERANENSI
ARCHIDIACONO NATO &c. &c.
DOMINO DOMINO PATRONO
Suo perquâm Gratioſo.

REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS ET AMPLISSIME DOMINE, DOMINE PATRONE GRATIOSISSIME.

NOtum est tritum illud: *Parvos parva decent*, quod equidem observare vel maximè tenuitati meæ congrueret, nisi ratio non levis aliud modò suaderet. Non diffiteor, *Parvum* quid esse atque exile, quod oculis manibúsque contrectas, Opusculum præsens 9. Missarum & 12. Offertoriorum brevium, à Reverendo Domino Germano meo Wilhelmo compositorum; neque abnuo, parvitatis me limites excedere, ac *Magnum* quiddam præsumere, dum præfatum opusculum non prælo tantûm subij-

ſubijcere, ſed & Tali ac Tanto Patrono, TIBI nimirùm, REVERENDISSIME, PERILLUSTRIS & GRATIOSE Domine Domine PRÆSUL, inſcribere ac dedicare attento. Veniam tamen audaciæ meæ eò certiùs ſpero, quò juſtiores ſunt cauſæ, quæ me ad auſum hoc impulerunt, uti ſunt primò. ingens multorum Muſicorum deſiderium, qui dudum antè aliis Reverendi Domini Fratris mei compoſitionibus applaudentes, præſens hoc opus ob novum arioſúmque ſtylum ſuum, luci publicæ committi exoptant, ut publicis plurium Votis ſatisfiat. Secundò. quia compoſitiò hæc ad modernum planè guſtum & uſum brevis eſt & bona. Tertiò. quia paucis conſtat vocibus, ideóque communiori etiam choro in rure, ubi copia Muſicorum deficit, haud parùm quadrat, præſertim ob Organum, quod quivis ut-ut obiter peritus pulſare poteſt. Quæ ratio ſi non unica, certè potiſsima fuit, quôd Dominus Frater meus in typum, de quo nunquam antea cogitaverat (prævia Licentiâ Reverendiſsimi, Prænobilis & perquàm Gratioſi Domini Domini Prælati Sui AUGUSTINI &c.) conſenſerit, ut ita laus Dei Cælitúmque honor, & eorum præcipuè, quibus Eccleſia Ranshovienſis Aras, Author verò Miſſas ſuas conſecravit, in pluribus etiam ignobilioribus Templis promoveretur. Quartò deniquenon ultima, ſed ferè primaria cauſa, *Magnum* adeò Gratioſúmque opuſculo huic *Parvo* Patronum ſeligendi, fuit, quòd multos jam ubique locorum reperire ſit Argos Muſicæ infeſtos, qui perfecta etiam & omni numero abſoluta celebrium Authorum Opera, nedum imperfectam hanc & deproperatam (ut Author fatetur) compoſitionem, audacter cavillare & traducere nôrunt: contra quos proinde ſcutô Defenſionis eſt opus, quo critica tela longiùs arceantur. Tale autem Scutum in TE reperio, PRÆSUL AMPLISSIME; in TE, inquam, in quo omnis omnium quà Divinarum quà humanarum Scientiarum, Artiúmque Liberalium, præſertim Matheſeos, cujus ſpecies eſt Muſica, reconditus eſt Theſaurus,

èquo abſque omni labore momentô citiùs recuditur, atque depromitur *Scutum inexpugnabile*, ſcilicet *Æquitas, contrà tela nequiſſimi.*

Quemadmodum verò ad petendam tam inſignem Protectionis Gratiam ſumma me amoris, fiduciæ ac reverentiæ Vis impulit: Ita nullus dubito, quin Voti me mei compotem factura ſit TUA per totum pænè, qua latè patet, orbem decantatiſsima in omnes PIETAS, CLEMENTIA, CHARITAS, HUMILITATIQUE juncta MAGNIFICENTIA: quarum omnium dulcem jam dudum præſenſit guſtum Reverendus Dominus Frater meus Wilhelmus, cùm decem abhinc Annis TECUM Ingolſtadii SS. Theologiæ, & SS. Canonum ſtudiis vacaret, ſuaviſsimósque ſinceræ Charitatis & Amicitiæ TUÆ rivulos prælibaret, qui evectô TE paulô poſt ad perfulgidam præpoſituræ Dieſſenſis INFULAM, in integra excurrêre flumina, de quibus innumeros inter alios etiam mihi fratríque meo Mathiæ, ſervulis TUIS omnium infimis, haurire licuit, dum inſolita GRATIOSÆ AMPLITUDINIS TUÆ CHARITAS, audito præcisè nomine noſtro, haud vano Wilhelmicæ Conſanguinitatis augure, in corda ſe noſtra diffudit per inhabitantem in TE PIETATIS atque HUMILITATIS ſpiritum, quo nos ab illo inſtanti ad hoc uſque momentum reſpicere, amplecti, & fovere gratioſiſsimè dignata es. Hujus cùm luculentum 12. Martii die Anni præteriti, quo Superîs Faventibûs nos tres Fratres Glorioſum NATALEM TUUM gratulabundis ſimul vocibus coràm celebravimus, experimentum cepiſſet Dominus Wilhelmus, meam non ſolùm intentionem ac ſcopum Dedicationis hujus approbavit, ſed etiam firmavit. Quod igitur æqui bonique conſului, TU, Domine PATRONE GRATIOSISSIME, ne deſpicias, oro, ſed ſine, PRÆSUL MELLITISSIME, ſine obſecro, ut offerendo dedicandóque

parvum

Op. I/1

parvum hunc partum muſicum, â Domino Fratre meo confectum, â me autem typis datum, tenuiſsimam ſaltem obſtrictiſsimi atque gratiſsimi animi mei umbram, mutuæque charitatis Teſſeram TUIS in me meósque Fratres Beneficiis reponam & Gratiis.

Quod dum ſpero, quamdiu ſpiro, TIBI animitùs acclamabo:

FLoreat IVo, CapVt DIeſſenſe, In pLVrIMa ſanV:

Ita voveo, méque æternùm ad obſequia TUA devoveo,

REVERENDISSIMÆ,
PERILLUSTRIS ET AMPLISSIMÆ
DOMINATIONIS TUÆ

Servus devotiſſimus

Joannes Caſparus Joſephus Ganspeckh,
Muſicus Aulico-Cameralis Monachii.

Au-

Author ad Philomuſum.

Nihil jam ſub ſole novum progignitur, quod non ſuum ocyùs cenſorem indipiſcatur, ſeu bonum ſit Authoris opus, ſeu bona ſaltem ejusdem intentio & labor. Quod dum ego non immeritò mihi timeo, te, Muſicæ Fautor, enixè rogo, ignoſcas mihi, ſi quos fortè nævos in compoſitione hac, quam pro ſolius Chori noſtri quotidiano uſu præpropere confeci, deprehendas; ſicuti enim (ut commune habet axioma) volenti non fit injuria, ita è contrario me ſpero de injuria vindicandum, ſi, quod malè factum, non volenti, obrigit, eò quòd de luce Notarum harum publica nihil unquam vel à longè ſomniârim, & aliorum nihilominùs Votis obtemperaturus, eâ temporis anguſtiâ conſtrictus fuerim, ut ante impreſſionis initium ne revidere quidem, nedum in melius commutare potuerim.

Mitigabit tamen, ut ominor, diſplicentiam tuam, qualem qualem inde oriundam, brevitas opuſculi hujus, quæ, ſi tardiori menſura (quod unicè te monitum volo) temperetur, aures certò, ſi non & animum tuum, haud leviter demulcebit. Finem denique ſi ſpectare lubeat, in eo ſaltem, credo, mecum convenies, quòd etiam ex ore infantium & lactentium perficiatur laus Dei, qui reſpicit in orationem humilium, & non ſpernit precem aut cantum eorum, ſed mercedem promittit potum aquæ frigidæ danti, & muſtò magis egregiè cantanti: quâ proin mercede ut ambo donemur, tu, ô Philomuſe, ſuaviter decanta, quod ego ſimpliciter compoſui. Vale.

INDEX MISSARUM.

I. Miſſa B. V. Mariæ de SS. Roſario.
II. Miſſa S. Pancratii Martyris.
III. Miſſa S. Auguſtini Ep. Conf.
IV. Miſſa S. Jacobi Apoſtoli.
V. Miſſa S. Stephani Martyr.
VI. Miſſa S. Sebaſtiani Martyr.
VII. Miſſa S. Barbaræ Virg. & Mart.
VIII. Miſſa S. Joſephi Confeſſoris.
Miſſa Mortuorum.

ORGANO.

I. Missa B. V. Mariæ de SS. Rosario.









II. Miſſa S. Pancratii Martyr.







III. Miſſa S. Auguſtini Ep. Conf.




E
- - T in terra.
repet. 4.
P
- - Atrem.
repet. 7.
S
- - Anctus.
Benedictus. } & Oſanna.
repet. 3.
A
- - Gnus Dei.
repet. 3.

IV. Missa S. Jacobi Apostoli.





V. Missa S. Stephani Martyris.







VI. Miſſa S. Sebaſtiani Martyr.



P - - Atrem,

repet. 8.

S - - Anctus, Benedictus, } & Oſanna.

repet. 3.

A - - Gnus Dei.

repet. 4.

VII. Miſſa S. Barbaræ Virg. & Mart.

K - - Yrie.

repet. 2.

- T in terra.
repet. 4.
- Atrem.
repet. 7.
- - Anctus.
Benedictus. } & Oſanna.
repet. 6.
- - Gnus Dei.
repet. 3.
Organo.

VIII. Missa S. Josephi Conf.





FINIS.

11/31/72